



Ode encomiaistica.

De auspiciatissima NOCTE, qua IAVRI-
NVM Arx manitissima recuperata est.

scripta & arctioris necessitudinis ergo
consecrata.

NOBILITATE GENERIS, VIRTU- TVM OMNIVM LAVDE ET

Officiorum dignitate præstantibus Viris,
Dominis, ERICO LASSOTAE, & IOAN-
NI VNDERHOLCZERO. Sacra: Cæs: &
Regiae Mttis: etc: in Superiori Hungaria Lustrationum
& Solutionum MAGISTRIS, etc: Do-
minis & Amicis optatissimis & conjunctissimis.

Per

CASPARVM FRANK
in Camera Scepusiensi Rationum
latinarum Magistrum.

Impressa VI SOLII Anno
M. D. XCIX.



DEDICATIO.

Nox descripta mihi est tenebrosa,
Nox dignissima publicis triūphis,
Et dignissima splendidis trophæis,
Nempe Nox ea, qua DEO faverente,
Stupendaq; novaq; fractione
Portarum, memorabiliq; pugna,
ARX IAVRINA ferisq; barbarisq;
Cæsis hostibus, occupata, rursus
Et Divine tibi RV DOLPHI, Cæsar
Sacratisime, & imperii Monarcha,
Subjugata, tibiq; restituta est.

Hanc noctem, Celebresq; Nobilesq;
Præclariq; Viri, tibi Magistro
Lustrarum, simul & tibi Magistro
Aeris Cæsarei solutionum,

Hanc, inquam, sacro, dedicoq; noctem
Vobis ille ego Cæsar is RV DOLPHI
Simplex in Rationibus Magister:
At fidus nec inutilis minister.

Hanc ergo lucubratiunculamq;
Amorisq;, necessitudinisq;
Nostræ testificatiunculamq;,
VOS boni, rogo, consulatis ambo,
Tam boni, rogo, consulatis ambo,
Quam VOS ambo viri boni estis, & quare
Omnes Cæsarei simul ministri,
Nec non officiis sumus Magistri.

Vester totus

omni studio &
officio

CASPAR FRANK.



Fatum vetus & tritum est: **Quod ne-**
mīni amīca

Sit cœca noctis orbita:

Vulgus ait: sed vana puto, noctemq; diemq;
Devs ipse cùm creaverit.

Imò quòd huic pugnans potior sit opinio, rerum
Eventus ipse comprobat.

Nonne ea N o x toti fuit Augustissima mundo,
Omniq; luce illustrior?

Quando DEI vero verum de lumine lumen,
Numenq; verū à Numine:

Nempe DEVM atq; hominem genuit sub luminis auras
Virgo ParenS, virgo manens.

Nonne ea N o x densa sub nocte jacentibus almam
Lucem attulit mortalibus?

Nonne ea N o x illum primò sua pandere SOLEM
In Orbe sēnsit lumina?

Luminibus cuius clarus sua lumina Titan
Et cuncta Cœli sydera

Iure accepta ferunt: O N o x prosperrima, cuius
Ortu simul miserrimo

Orta salus hominum generi, & spes reddita mundo est
Felicioris saceruli.

A 2

Vtq;

VTq; alias taceam noctes , præclaraq; facta
Sub noctis umbra præstita :
Anne ea Nox cedro digna est & marmore? nuper
In Mense oborta Martio.

Numine propitio qua **SchWarczenber-**
gius Heros,
Baroq; fortis **Palfiñus:**

Per tenebras , per aquas , per mille pericula , **Ca-**
Ad **Iauriense** exercitum **strum**

Intrepidis duxere animis , validisq; repente
Mirèq; fractis postibus :

Invasere Vrbem curaç; metuç; solutam ,
Et mox cruenta prælia

Vndiq; commisere , aliqui mucrone corusco ,
Alii tonante glandine :

Iste sarissa , aliis conto , valida ille bipenni ,
Plutes cruento acinace .

Hic eques , ille pedes : Germanus hic , Italus ille ;
Hic Gallus , ille Pannonus .

Cum quibus , agminibus densis , atq; impete magno
Sunt præliati atrociter ,

Armi potente manu **T**URCAE , Gens impia , dira ,
Perjura , cœdem & sanguinem **Christi**

Christicolum spirans, donec p̄p̄e nocte fugata

Hostes, juvante Numine,

Sive trucidati, aut trajecti glandinis iectu,

Aut perforati lanceis,

Succubuerē neci: pars supplice voce manuq;

Pacti salutem ferreis

Porrexerē pedes vinclis, N O S T R I q; potiti

Memorabili Victoria

Obtinuere Vrbis loca munitissima, & Arcis

Robusta propugnacula.

Clara triumphantes & constituere trophæa

D E O potenti & C A E S A R I .

S Cilicet inde patet nequaquam inimica & iniqua:

Sed amica quod silentia

Christicolis fuerint hac nocte: subinvida quamvis,

Suo coruscans lumine,

L V N A , salutares quasi discussura tenebras,

Favere visa sit hostibus :

Attamen actutum rursus caligine densa

Atrisq; tecta nubibus,

Occuluit radios, quos, non sine Numine, Titan

Subtraxit illi , immanibus

Lumina ne præstans T Y R C I S , fausto omne cœptum

Opus omne redderet irritum.

Adde quod inde liquet, ceu prorsus lumine cassa

Est Luna, nec mortalibus

A 3

Obscu-

Obscura sub nocte potest lucem vè, facem vè
Præbere, ni reciproco
A Solis fuerit jubare irradiata: secundos
Sic quæq; machinatio
Haud sperare potest successus, sive diurno,
Cœcovè noctis tempore
Aggrediaris opus, si non sacra Numinæ cœptis
Pendant tuis sua lumina.

Imò ita I V S T I C I A E S O L (cujus clara diei
Collata lux splendoribus
Non lux sed potius nox intempesta videtur)
Hac nocte sub nigerrima
Nube premi voluit, truculentæ insignia Gentis,
Infesta Lunæ cornua.

Auxiliante D E O , donec, truce Thrace subacto,
Arx Iauriensis integra

D I V E R V D O L P H E tibi, tibi Sacratissime C A E S A R ,
Est restituta cœlitùs.

E Rgo facesse procul, quisquis sacra Numinæ certis
Adstricta prorsus angulis.
Temporibus vè putas. At V o s Mavortia corda
Ducesq; bellorum inclyti,
Pergite opem Cœlo sperantes, pergitte magno
Animo, manuq; strenua

Cædite

Cædite, tundite, sternite, vincite, trudite in Orcum
Scelestæ Turcarum agmina.
Nam Deus omnipotens, seu Lux seu Nox sit, amica
Præstabit undiq; tempora.
Isq; suo Vobis erit undiq; Numine præstò,
Clarisq; Vos victoriis
Solis ad occasum celebratos Solis ab ortu,
Cœlis ovantes inferet.
Et Vobis, cunctisq; solo sua signa secutis
Polo trophyæ conferet.
Exemtoſq; gravi cruce suavi luce beabit
In sempiterna sæcula.

CHRONOLOGICON

Mensem, diem, & Annū I AVRINI
feliciter recuperati complectens.

QVarto CaLenDas AprILeIs
RVDoLphVs II. Cæsar, ReX,
PrInCeps, etc: IaVrIno re-
CVperato potItVr.

Régi nyomtatványok, Körmöcbánya evang.:
/310.ig.j./